

## **Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Sablé, Nr. 20**

Quoniam, etc. Hugo, vicarius Andecavensis, post mortem patris sui, calumniatus est monachis nostris de Sablolo molendinum quemdam quem pater suus eis dederat. Sed post multas calumnias recognoscens donum patris sui, benigne concessit eundem molendinum cognomento Novum supradictis monachis nostris de Sablolo, concedentibus filiis suis quorum nomina inferius subnectemus, audientibus etiam et videntibus aliis pluribus. Volens quoque donum et eleemosynam patris sui vel suam augmentare, dedit itidem monachis de Sablolo decimam terre sue de Gres, monachis necnon nostris de Boeria dedit unum bordagium terre peroptime et domni de Boeria pene contigue. Cum autem donum istud prioribus supradictarum obedientiarum jam fecisset, postea in capitulum nostrum veniens, ipsum donum a se factum nobis exposuit et ad majorem confirmationem iterum fecit et super majus altare posuit, astante et simul ponente Gaufredo, filio suo. Hoc etiam concesserunt quatuor filii supradicti Hugonis Guillelmus, Albericus, Hamelinus et Gaufredus. Hoc etiam vidit et audivit Beringerius, homo ipsius Hugonis.